

DEFUNCTI

Tres Defuncti Provinciae Anglicae (a. 1963)

P. IOANNES CHARLTON (1878-1963)

Ioannes Alexander Charlton, Middlesborough in comitatu de Yorkshire honestis parentibus acatholicis die 4 ian. 1878 natus est. Liberi numero 8 fuerunt, quorum Ioannes natu minimus erat. Abhinc multos annos res paternae non bene evenerant; et revera, tempore Ioannis natalitio, familia difficultatibus monetariis oppressa erat. Ioanne nondum baptizato, familia Londinium, prope collegium nostrum ad B.M.V. in Clapham se transtulit.

Iuvenis, compulsus desiderio pressius cognoscendi vitam nostram, Rev. Patrem Stevens, C.S.S.R., petiit ut eum in fide catholica instrueret. Deinde ab ipso Patre etiam baptizatus est. Duobus annis elapsis, inter primos alumnos Iuvenatus nostri neo-fundati apud Bishop Eton adscriptus est. Soror eius, etiam in naviculo petrino constituta, monasterium Clarissarum ingressa est. Matrem eius breviter ante mortem maximo cum gaudio in Ecclesiam veram ipse accepit.

Votis anno 1897 emissis, ad dignitatem sacerdotalem anno 1901 elevatus est. Laboribus missionum exercitiorumque spiritualium se dedit; attamen maiorem vitae suae redemptorianae partem in administrandis Congregationis rebus degit. Superior domus fuit per sex annos, rector per novem, superior provincialis per duodecim annos. Tanta fuit in Africa meridionali fama eius, ut parochi multi opinati sunt eum episcopum creandum esse.

Morbo correptus, post reditum anno 1936 in Angliam, multis passionibus vexabatur. Quas omnes et duas operationes chirurgicas constanter ac fortissime sufferebat. Tandem in hospio apud Twyford Abbey, sacra unctione roboratus, festo B.M.V. Nativitatis a. 1963 animam suam Deo sanctissime reddidit. Cuius corpus in nostro coemeterio apud Bishop's Stortford die 12 sept. sepultum est.

Primus erat e iuvenatu provinciae Anglicae qui in nostra Congregatione ad finem perseveravit.